



Pagen =

de



Roberg/Laur:| de Piscibus, Upsal. 1727.
Thilo G. de generatione Piscium 667.
Linnæi, Car: Amphibia Gylleborgiana 745.
" Corallia Baltica, 745.
" Nova Plantarum genera 745.
" Surinamensis Grilliana 748.
" Crystallorum generatio 747.
" Hortus Upsaliensis. 745.
Wallerius, J. G., de historid naturalis usu medico, 740.
Linnæi Museum Adolpho-Fridericiæum 746.
Pfeffer G. C. de Pipere. 740.
Ziegner Const: de Zoophytis. 667.
Arnoldus, G., de Zoophytis 670.
Goetz, G. H., De eruditis Hortorum Cultoribus 726.
dann Hlausing, H., Docta et dissimulata quarundam re-
rum ignorantia cum simulata aliorum scientia
collata 701.
Sæpius, J. F. de amputatione femoris non cre-
enta: 742.
Hulmi, J. A., De Infantis post matris obitum par-
ta 742.
Mircherod, Th. B., Historia naturalis quatuor
Cestrarum bubularum, quibus quæ superinducta
caro fuerat, in verissimum os est conversa.
723.





AB # 72

(1/18)



Q. D. B. V.

EXERCITATIO PHYSICA

De

ZOOPHYTIS,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Plurimum Reverendī, Amplissimi atque
Excellentissimi*

DN. CONSTANTINI Siegra/

SS. Theol. D. & Philosophiæ Naturalis Profes-
soris P. longè celeberrimi,*DN. Patroni, Præceptoris ac Promotoris perenni
honoris ac observantia cultu mactandi*

in Illustri ad Albim Academia

*publica placideque Συμφιλοσοφῆντων
disquisitioni subjecta*

JOHANNE GVILIELMO HILLIGERO,

Chemnicensi Misnico,

Auctore Responsuro,

ad d. 10. Julij, Horis Matutinis

in Acroaterio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wende.

Anno M DC LXVII.



NOBILITATE
Splendidissimo,
VIRTUTE
Eminentissimo,
ARTE ET MARTE
Clarissimo,
VIRO

DN. MICHAELI
THALMANNO,

HÆREDITARIO in Mildenau &c.

INVICTISS. ET POTENTISS. REG. SVEC.
EQVITUM MAGISTRO FORTISSIMO
MERITISSIMO &c. &c.

DN. PATRONO, FAUTORI ATQVE SUSCEPTORI
plurimis nominibus atatem devenerando,


Hanc sui, de Zoophytis, ingenioli Fæturam

in

AMORIS κενθήριον
HONORIS τεκμήριον
FAVORIS Οργανθήριον

Nuncupat & inscribit

Johannes Gvilielmus Hilligerus,
Chemnicensis Misnicus,
AUCTOR & RESPONDENS.



|| ||
עסו עשו

P R Æ F A T I O.



*Um quidem Eruditos non late-
re debeat, unicum rerum Physica-
rum fundamentum Naturam esse,
inveniuntur tamen quamplurimi,
qui illud in cerebro humano, at
quàm fallaci! querere satagunt.*

*Et cum permultum hîc prestitisse Magnum Aristote-
lem sentiant, tantum abest, ut eundem saltem infal-
libilem controversiarum naturalium normam se-
quantur, ut fermè tanti faciant in Philosophiâ,
quanti scripturam aestimamus in Theologiâ. Sed
rectè hos confutat desideratissimus Sperlingius in
Ezercit. Phys. Proœm. Exercit. 6. Aristoteli, in-
quiens, nec omnia tribuenda, nec omnia demenda
censemus. Fuit doctissimus, fuit laboriosissimus,
sed fuit in appetendâ gloriâ immoderatisissimus.
Tradidit bona ac salutaria; sed miscuit mala
A 2 &noxia!*

& noxia. Gloriam suam habeat, sed non omnibus præferatur Antecessoribus, neque ut Dominus ac Imperator præponatur successoribus. *Ea propter ut in non paucis locis mentionem faciat ejusmodi corporum naturalium, quæ sint media inter plantas & animalia naturæ, & uno verbo appellantur Zoophyta; injustè tamen agunt tot ejus affecla, dum eandem cum eodem tibiam inflare non verentur, & hodiernum omni nisu Zoophyta eruditiori orbi obtrudunt. Nos hætenus solliciti, ecquanam de materiâ vires iterum exerceamus, hanc tandem selegimus, ut videamus in præsentem, quid dicta de Zoophytis sententia spondeat, & ea, quæ in forum hunc producuntur, brevissimis lineis sub Disputationis incudem revocemus. Cumque multos quidem deprehenderimus, qui Zoophytorum in se defensionem susceperunt, illis verò omnibus adducendis, nedum inspiciendis, ob angustam librorum suppellectilem, non suffecerimus, nos veniam facile impetraturos speramus, licet nonnulla forsitan adducenda hæc vice omittamus. Summum Numen suam nobis gratiam cœlitus largiatur, & sue infinite sapientiæ thesauros aperiat FELICITER!*

§. I. Quod

§. I.

Quod alicubi Epictetus pronunciat, *δέχην παιδίσσας τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπιτοκῆσιν εἶναι* & l. i. de Meth. Med. c. 5. Galenus principium in omni Disputatione & re nomen esse, illius nos memores, merito à voce *Ζωόφυτον* auspicamur; cuius natales, cunctorum calculò, apud Græcos quarimus, quibus τὸ *Ζωόφυτον* derivatur à nominibus *Ζῶον* animal & *Φυτόν* planta, quia, ut ajunt, quibusdam attributis ad animal, quibusdam ad plantam inclinatur. Hermolaus Barbarus apud Magirum Physiol. Peripat. l. 6. c. 6. n. 3. Latine *Ζωόφυτον* reddidit per Plantanimal, inversâ, propter decorem pronunciationis, compositionis serie: Libavius Part. II. singular. Exercit. de Zoophyt. quæst. 1. per Animal plantale: alii per Plantanimans, Plantam sentientem &c. ipsi Aristoteli, ut refert ex Budæo & Gaza Jonstonus Hist. Nat. l. 4. c. 1. dicitur τὸ *ἐπιμφοτερίζων Φυτὸν καὶ ζῶον*, seu ambigens plantæ & animalis.

§. II.

Premissis, quæ nomen *Ζωόφυτον* postulabat, in ipsam rem invehimur, observaturi ante omnia, quænam Zoophytorum nobis descriptio exhibeatur. Aristoteles l. 1. Gen. an. c. ult. Zoophytum describit quod sit inter animal & plantas ambiguum, ut in ambobus constitutum, generibus munere neutrius fungens, quodque more plantarum sexu maris & foeminae sit destitutum, nec generet in alio, more verò animalium nullum ex se fructum efferat, genereturque ex terrena & humida quâdam concretionem. Quam descriptionem jure merito obelô notat Libavius l. c. eò, quia partim ex negationibus consistit, partim definito longè latior est. Nam novum planè, non medium quid dici ait, & cui tum ratio nominis, tum nomen ipsum repugnat; imò id falsitatis arguens, quod Plantas dicat non in alio gignere, & suum animalibus fructum deesse, reclamantibus & insitione & quotidianâ experientiâ. Nos addimus falsam, quam hîc prodit Aristoteles, hypothesein de generatione æquivocâ. Hinc alio modo citatus Libavius Plantanimal definit, nimirum *per substantiam vivam ambiguae inter animal plantasque nature, de quorum utroque aliquid sit sortita, in aliquibus desciat*. Sed & ipse Quæst. 2. addit, seriem substan-

riarum non admittere mixturam talem, verum omne corpus vivum esse aut plantam aut animal, explosō omni tertio. Quicquid demum sit, instituti nostri ratio requirit, ut assumatur aliqua sic dictorum Zoophytorum descriptio, ne quempiam latere possit, quid sit, quō de nobis omnis sermo instituat.

§. III.

Plinius l. 9. Hist. Nat. c. 45. duo duntaxat genera Plantanimalium recenset, quæ neque frutices dici queant, neque animalia, sed tertium quoddam genus constituent, illō referens *Urticam atq; Spongiam*. Aristoteles contrā l. c. & l. 8. Hist. An. c. 1. præter hæc Plinii Zoophyta totum genus Testatorum adjicit. Alii veræ Zoophytorum divisioni studentes, alia faciunt *Aquatica*, alia *Terrestria*, quorum illa, ut patet, mare; hæc Terram pro natali sede agnoscant, & utrobique partim animalium, partim plantarum confinio accedant. Nos melioris methodi gratiā hanc Zoophytorum divisionem ultimam trademus, atq; potiora nec non & notiora in medium producemus, non neglectis simul iis, quæ forsā ad hanc classem referrentur, aut eliminanda quoq; essent, si ejusmodi corpora ambigentiā pateretur genetrix rerum omnium Natura.

§. IV.

Igitur è Mari primò sese offerunt Purpuræ, Buccinæ, Echini, Pectines, & si quæ sunt alia, quæ Testatis ac proindè Plantanimalibus accenset Aristoteles l. c. alibiq; , quia scilicet, ut ajunt, plantarum vitam vivere primū deprehenduntur. Proxima est *Urtica marina*, quæ nomen accepisse videtur ab urendo, quia ejus, qui illam tangit, manum urit, atq; ad eò adherere saxi rebusq; aliis dicitur ab Aristotele l. 4. Hist. c. 6. & l. 3. c. 16. & Plinio l. 9. c. 45. ut nisi primò impetu divellatur, vix postea, nisi in frustra concisa, dirimi possit: os exhibere in medio, quo prænatantes pisciculos venatur & devorat: si manum admo-
veris, calorem mutare ac se contrahere. Quæ similesq; operationes aliæ efficiunt, ut *Urticam* Plantanimalibus annumerare, quàm plantis maluerint, quiqui eorum existentiam propugnant. Quos inter cum eminere etiam videatur consummatisimus Philosopho-Theologus B. Franzius, ejus ex Hist.
Anim

Anim. Parc. 3. c. 9. de Urtica verba huc scribemus. *Urtica* ait, marina nihil est aliud, nisi interna caro ostreorum, sed caret omni testa, & nascitur in cavis saxi, quibus etiam utitur pro testa, & semper manet in suo domicilio, unde putaretur esse planta. Nihilominus tamen animal videtur esse, quia manum hominis admotam corripit, sæpe etiam, dum sentit sibi admoventi manum, colorem mutat & contrahitur. Os habet in medio, unde si pisciculi in ipsam Urticam inciderint, eos excipit, retinet & devorat. Tactu totius corporis pruricum quendam excitat, unde nomen Urtica est sortita Scenessel.

§. V.

Spongiam huc trahunt Aristoteles, Plinius & ex iis B. Franzius cc. II. non autem exsiccatam illam, quæ humanis usibus maximè inservit, sed saxi adhuc adhaerentem, urgentes, spongiam imminente tempestate, aut cum sonum quendam edunt homines, quin & cum evellitur, contrahi: evulsam cruorem stillare: ubi esurit, ad capiendos pisces sese aperire, & iterum mox comprimi: Tandem reperiri in eadem conchas carne omni destitutas. Unde manifestum esse putant, ipsam alii conchis, pisce & limo, sicq; simul animal nominari posse, ita ut spongiam Plinius propterea aperte animal appellet l. 31. c. 1. Ast quàm fallantur omnes & fallant alios, mox audietur inferius.

§. VI.

Plura, quæ sedem mare agnoscunt, & pro Zoophytis reputantur, videre extant apud Jonstonum l. c. velut sunt: Palmo, Mentula marina, Malum granatum, Fungus, pirus, penna marina, uva marina, malum insanum marinum, Manus marina, Stella marina, cucumis marina, Holothuria &c. quorum pleraque à figura nomina sustinuerunt, & nescio quam ob rationem huc trahuntur.

§. VII

Ad Terrestria Plantanimalia Magirus l. c. n. ult. ex Scaligero Exerc. 181. sect. 28. refert arborem illam Indicam in provincia Podiferam nascentem, quæ appropinquante homine vel animali quasi verecunda ramos contrahit, recedente expandit, atq; sic tam prævenire partim sensu, partim sui subtractione videtur.

quam

quam ob causam incolæ Pudicam nominant, Lusitani sentidam, Hugo Linschotanus in descript. Navig. in Ind. orient. c. 61. sentientem, alii aliter, de quâ in morem hunc ex jam allegato Linschotano Keckermannus System. Philos. T. 2. Disp. Phys. 13. qv. 9. *Planta, inquit, hæc ad omnem tactum & jactum etiam salis vel pulveris, folia retrahit & claudit, eaq; non nisi post discessum tangentis seu jacentis recludit.* Similem similis effectus & naturæ describit Libavius l. c. qv. 6. ex Garziâ, quæ in Malavar provenit, & à Clusio in Hist. Gent. c. 194. & 205. pro ea reputatur, quam Christophorus à Costa herbam vivam nominat, atq; ita miram, ut ratio humana eam assequi nequeat. Affinis quoq; videtur herba, quam Apollodorus retulit, vocatque *Æschynomem*, quia appropinquantem manum contractione foliorum refugit. imò sæpius allegatus Libavius l. c. huc collocat eandem, quam Clusius l. d. nomine *Mimosæ hortensis* describit, & manu admotâ senescere & marcescere, remotâ revirescere dicit.

§. VIII.

Mirabilior adhuc & animalibus vicinior habetur illa planta, quæ referente ex Scalig. Exerc. 112. Salmutho Notis ad Panciroll. Part. II. tit. 1. *in insula vicina Cimbubon conspicitur, cujus frondes in terram lapsæ receptione quâdam seipsas movent & promovent: frondibus facies, quæ muri. utrinq; habent quasi pedes pusillos binos: Tactæ abeunt aut refugiunt.* Unam harum frondium M. Anton. Pigafettam octo dies in scutula habuisse, eamq; leviter tactam circa scutulam ivisse, præter Gvilandinum Scaliger & Keckermannus ll. cc. attestantur.

§. IX.

Idem Keckermannus, ut & Nierembergicus Hist. Nat. l. 3. c. 6. & Libavius Part. II. singul. Exercit. de Agno Vegetab. sect. 3. *Plantanimalibus accensent Agnum Tartaricum seu vegetabilem, quem vocant, quo de audire proderit subtilitatis aligerû Scaligerum Exerc. 181. sect. 29. Tartarorum inquentem, herba primaria Zavolla est, vetustissima nobilitatis commendatione. in eò agro serunt semen seminis Melonis simillimum, sed nimis oblongum. Ex eò satuplantam exire, quam Boramez i. e. agnum vocant, crescit enim agni figura ad pedum ferè ternam altitudinem, quem*
pedibus,

pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus repræsentat. pro cornibus pilos gerit singularis cornu specie. obducitur corio tenuissimo, cuius detracti usus ad capitū tegmina incolis. Ferunt internam pulpam Gammarii referre carnes, cæterum è vulnere quoque sanguinem manare. dulcore esse admirabili. radicem humo exsertam surgere ad umbilicum usq; illud miraculi fovet magnitudinem: quamdiu vicinis obsidetur herbis tamdiu vivere, quasi agnum in læto pascuo; absumtis illis tabescere atq; interire, idque non solum casu vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratiâ subtractis atq; ablatis evenire. quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam, non item ab aliis bestiis, quæ carne vescuntur. Paria, sed paulò aliter de Agno hoc vegetabili scribit Odericus Urinensis, citante Fort. Liceto l. 3. de spont. viv. ort. c. 45. quando rem à se non visam, ab hominibus tamen fide dignis auditam recitans addit: in quodam regno esse aliquos montes nomine Capesfos, ubi nascantur per magni pepones, qui maturescentes aperiuntur, & intra eos reperitur animal ad instar agni pusilli, qui habet peponem & carnem simul. Pergit deindè: Etsi hoc videtur incredibile, tamen, ut in Hibernia sunt arbores, quæ producunt aves, ita possunt verè tales ibi reperiri pepones. Conf. illastr. Baron. ab Herberstein Histor. Moscovit. Laurent. Surius. Lubec. in Comment anni 1504. Petr Gregor. Tholosanus l. 33. synt. Art. Mirab. c. 13. Libavius Part. II. singular. Exerc. citatâ &c.

§ X.

Plura hujus commatis occurrerent, quæ Ζωοφυτῶν assignarentur, quæ tamen libentes in præsentem transilimus, qualia sunt: *Herba impatiens*, quam dicunt maturas seminis siliquas non pati attingere, sed ad levissimum contactum semen profundere, & in spinas contrahi, undè nomen *Noli me tangere* sortita sit: item *Brassica* & *vitis*, quæ se quasi sensu præditæ invicem aversantur; aliæque plantæ plures, quibus olim sensus adscribere Plato, Anaxagoras, Empedocles &c. hodiè Cardanus aliive. Deinde etiam ad rhombum planè non faciunt vermes illi, quos vulgus ex plantis generari putat, nempe *Bombyces*, *Papiliones*, Ζυλοφώγος german. *Stochwurm* &c. pariter, quæ Libavius l. c. Exercit. de Zoophyt. Qv. 6. ad Terrestri

B

restri

restria Zoophyta reducit, nimirum Cochlez, Lumbrici, Erucæ, Ricini, & id genus vermes alii, qui partim in animalibus extrâ, partim intrâ, & ex cadaveribus quoque uti plantæ generari dicuntur, quemadmodum hoc ipsum paulò post luce meridiano clarius patebit.

§. XI.

Postquam ergò hæc ostendimus, qualia & quare Plantanimalium civitate donata sint, quæque forsitan donari possent, restat nunc, ut nostrum calculum adjiciamus. Uti autem constat, quod ex commistione seminum diversi generis variæ nascantur monstra v. g. Leopardus, Lycopantherus &c. ita è contrario manifestum erit, non ita posse confundi semina plantarum atque animalium, & uno verbo Zoophytum commentum purum esse, excogitatum in probrum naturæ, quæ nullum discrimen posuit inter animal & non-animal. Et licet vis vegetalis sese haud rarò exferat unâ cum animali, nullum tamen exiudè fingendum est Plantanimal, cum certè tantum abesset, ut plurima darentur Plantanimantia, ut quodlibet brutum in numerum eorum venire deberet. Ut hæc manifestiora evadant, negativam sententiam primùm in genere, ac deindè in specie probatam dare animus est.

§. XII,

Generatim Zoophyta prosternit frequens illud & æternæ veritatis axioma: *Unius rei non nisi unica est forma*, scilicet specifica & essentialis, quæ omni rei esse suum, operari ac distingui largitur. jam si fingeremus talia corpora, quæ neq; tota animantia sint, neque totæ plantæ, sed partim animantia, partim plantæ, certè hic non unam, sed duplicem formam adesse necesse esset, quod verò uti sanæ Philosophiæ repugnat, repugnat enim unius rei esse plures essentias, ita suâ statim sponte corruunt Zoophyta. Deindè in plerisq; salva res est, dum nequidem animantia dici possunt, datâ eâratione, quia iis definitio animæ sensitivæ nullo competit modo, utpote quæ est *forma brutorum, quâ objecta sensibilia cognoscunt, salutaria appetunt & locomovètur*, cumq; desumatur ab operationibus triplicibus, nimirum cognoscendo, appetendo & locum mutando, nullus tam verisanz mentis erit, ut cognitionem sensualem, salutarem appeti-
tum

tum & locomotionem sic dictis Zoophytis attribuere audeat. Quid quod Facultates animæ sensitivæ idem confirmant, & longius à plerisque Plantanimalibus recedant. Nemo deprehendet Facultatem cognoscentem, Nam Zoophyta non mediante certo corporis organo objecta sensibilia concipiunt, quoniam & sensibus internis & externis destituuntur. quis est, qui oculos, aures, nares, linguam membranamve in Plantanimalibus conspexit? plurimorum icones contemplati sumus, at nihil tale deprehensum. Deficit præterea Facultas Appetens, quæ animalium instar ad bonum sensu perceptum inclinarent, dicereturque Appetitus sensitivus, quem varii comitari deberent Affectus, Lætitia, Tristitia, Spes, Metus, Amor &c. quæ tamen omnia Plantanimalibus assignari nequaquam sanè possunt. Habent quidem appetitum naturalem, qui omnibus corporibus communis est; at verò sensitivum iisdem adscribere, summa esset impudentia, solis affectibus satis satisq; reclamantibus. Neq; præterimus Facultatem locomotivam, quæ itidem in Zoophytis non deprehensa fuit, aut deprehenderetur unquam, quum nec animalium more de locò in locum moveantur, nec objectum vel prosequantur, vel fugiant. exulet, qui aliter philosophatur.

§. XIII.

In genere etiam sententiam nostram juvat falsa illa, quam sovent nonnulli, hypothesis, dum suis Zoophytis spontaneum ortum, dudum à sanioribus Physicis, adeoque ipso Aristotele, proscriptum, attribuunt. Nos nihil dicimus esse in effectu, quod non prius fuerit in causa, venerantes unicè generationem univocam, æquivocam verò, tanquam infelicem stolonem & degenerè non naturæ sed humani cerebri foetum Plantaliū animalium Patronis, qui eandem exosculentur, quamdiu volunt, relinquentes. Quippè uti homo vivit in homine, brutum in bruto: ita vivit frutex in frutice, planta in planta. Nihil animalis naturæ reperitur, ubi nulla formæ animalium propriæ vestigia inveniuntur.

§. XIV.

Plurium, quibus hîc Zoophyta destruere possemus, definimus, atque recto pede ad examinationem specialem eorum, quæ

quæ antea pro Plantanimalibus complures habuerunt, progredimur. Ex Aquatilibus primò prodibant omnia *Testata*, quæ tamen nequaquam huc revocari debent, quandoquidem verè animalium, in quibus vegetativam animam non nisi conceptu dari novimus, naturam habent, plantarum nullam, formâ inibi superiori officio inferioris simul perfungente. patet hoc inter alia exinde, quod piscatores *Testata* capere non possint, nisi magno cum silentio accedant, prout innuit B. Franzius *Hist. Anim. Part. 3. cap. 8.* Quod ad *Urticam*, eandem verius plantam aliquam, quàm quidem animal esse proclamamus. neque enim aliquid propterea de naturâ animalis participat, quia manum tangentis urit, siquidem argumenta ab Etymologia petita ibi, ubi res ipsa non liquet. maximè infirma & insufficientia sunt. Nec obstat, quod suis locis sit affixa. Nam affixum aut solutum esse nunquam facit plantam aut animal, & *Urtica* insuper per mare ferri natareque dicitur apud Jonstonum l. c. perindè ut de pipetro Parnassi Philosophus affirmat, eandem à terrâ divulsam vitam quoque vivere. Adhuc distinguimus inter locutiones proprias & Metaphoricas. improprie *Urticam* os habere concedi potest, quippè in quod pisciculi prænatantes incurrunt & absuntur. aliàs si verò esset ore prædita, & caput etiam & singula ad illud pertinentia membra eadem attribuenda fore putamus; id quod nemo nisi impostantis asseret. Inspiciat *Urticam*, qui velit, uti eam exculptam asserunt Jonstonus & alii, iratas Musas habeam, si volam aut vestigium oris invenerit. Deindè coloris mutatio & ad tactum hominis contractio, quas urgent quidam, quid, quæso, aliud, quam actionem naturalem inferunt, & qualitatem dubio procul occultam, quâ minimè *Urtica* vult pati, quod naturâ detestatur? At quando tandem B. Franzium allegavimus, eundem non tam existentiam Zoophytorum propugnare, quàm omnia, quæ habet, ex aliorum protulisse mente, conjicimus. Etenim non tantùm ab initio cap. IX. aliorum sententiam exponens disserit: *in mari aliud mirabile reperiri genus, quod appellant Ζωόφυτον*; sed verò in describendâ etiam *Urticâ* non rarò notandum illud videtur adhibet. Et quod primo

lo co

loco debuisset annotari, in fine descriptionis Urticæ ait: *Rescensiores malle non tam animalibus, quam Plantanimalibus accensere.* Unde manifestissime apparet, Urticam nequaquam Plantanimal, rectius verò plantam vocari posse.

§. XV.

Quæ de Spongia adducebantur, majorem parere difficultatem videntur, ac videntur. Rectissime eandem pro planta habet sæpè allegatus Franzius, eò, quia non tantum saxi adherendo vivit, & nihil carnis habet; *sed potius substantiam similem substantia plantarum, & radices multasque fistulas & foramina.* Ast quod sensus spongia tribuat, adeoque præter animam vegetativam simul quoque sensitivam, ut à quâ dependent sensus, in eo cum aliis declinasse deprehenditur. Nam quod spongiam imminente tempestate, aut sonò auditò contrahi asserat, & sic necessariò auditu quòdam regi, id minimè evincit, eandem esse animal, quandoquidem & spongia æquè ut plantæ aliæ instrumentis sentiendi destituta est, & sensus nunquam agunt sine organo. potius spongia, more aliorum corporum naturalium, suas naturales actiones edit. Et quanquam se contrahat, cum evellendi ergò homines accedunt, eadem ratio adhuc militat. naturalis actio conspicitur, eaque antipathetica, quam si inanimatis etiam largimur, quid prohibebit, quo minus itidem dicatur in esse plantis? Cæterò quin si à sensu flueret cōtractio, posset spongia se quandoque non contrahere, id quod tamen semper fieri edicunt, qui Plantanimal spongiam dicunt. Præterea cruorem stillat quamdiu & quandoque velit, nunquam illum verum cruorem esse, qui sanguis concretus dicitur, sed potius humorem aliquem, eâ parte in modum cruoris propullulantem, quâ fuit secata & avulsa, credemus. Ulterius, quod se ingrediendis piscibus aperiat, & postea comprimatur iterum, illud ipsum non adeò magni momenti est, & citrà controversiam aliter fieret, si cui eandem in mari adspiciendi daretur potestas. Tandem ipsæ conchæ, quas inveniri ajunt in spongiâ, facilè fluctibus marinis eò deportari possunt & successu temporis consumi, ut sic nequicquam agant, qui spongiam Ζωόφυλον appellant. nobis pura puta planta manebit.

§. XVI.

Pari modo Pulmo marinus, quæ per mare fertur, & imminentem tempestatem portendit, itidemque Mentula marina, Malum granatum, fungus, pirus, penna marina &c. nihil omninò exhibent, quod duplicis formæ præsentiam manifestare habeat, cum adhuc nos fugiat, cur Plantanimalibus hæc ipsa annumerarit Jonstonus loco suprâ citato. quapropter eâ facilitate ex agro hõc proscribuntur, quâ sunt in medium allata.

§. XVII.

De spe suâ decidit, si quis nos *herbampudicam*, à Magiro superius inter Zoophyta relata, ab instituto nostro depellere opinatur. Nam quamvis fateamur, ejusmodi plura de hæc ipsâ multos literis prodidisse, quod scilicet accedente homine folia recludat, discedente rursus repandat; fatemur tamen etiam, nullum tanta pollere autoritate, ut nobis imponat, etsi sit vel ipsa *svadela*. Rationibus, non autoritatibus pugnant Philosophi, neque omnia, quæ apparent, pro veris habent & genuinis. hinc ut rejiciatur præpostera illorum sententia, qui *Pudicam* pro Zoophyto venditant, putamus distingvendum esse inter cognitionem aut appetitum naturalem; & sensualem. illum, veluti aliquoties in præsentî recensuimus, ambabus manibus plantis, & sic quoque ita vocatis Plantanimalibus largimur: ac hic nullo unquam modo iis competere potest. Nempè norunt commoda sua & incommoda homines, norunt bruta, imò nosse etiâ inanimata, atque indè multò magis plantas in aprico est. Novimus magnetem amare ferrum, illudque attrahere, fugere contrâ allium & cepas, vitem vitare brassicam ut ovis lupum, lepus canem: fumum apis. sed hæc non à sensu, sed è naturæ ductu fiunt. Quin imò nullum esset dubium, si homines, quibus herbam hanc videre contigit, paulò longius; ac fieri assolet, præsentés manerent, *Pudicam* folia sua repansurâ esse qui verò, cum discedant statim, & postmodum reversi, folia exprorecta intueantur, liquidò apparet, discessum falsissimè mutationis causam perhiberi. Idem judicium esto de reliquis, quæ *Pudicæ* subjiciebantur, hõc saltem observatò, malè Plinium l. 24. c. 17, *Æschynomem* Magicis artibus annumerasse, qui propterea à *Libavio* vapulat & corrigitur.

§. XVIII.

§. XIIX.

Maximè sublestam fidem pariunt folia ambulantiæ, imprimis quando Pigafettæ scutulam circumvixisse perhibentur. scilicet multa homines dicis gratia efferunt, quæ mox inaudientes alii pro seriis accipiunt, & iterum aliis communicant. si tactum fugiunt plantæ hujus frondes, fugiant ex naturali odio, minimè verò ex facultate locomovente, utpote quam effectum non vegetativæ, sed sentientis animæ esse nulli ignoramus. Et juvat rem nostram, quod folia dicantur habere quasi pedes, undè ambulationem non ἀληθῶς, sed φαινομένως talem inferri, quis est, qui inficias eat?

§. XIX.

Exulet cum prædictis ac rejectis ζωοφύτοις Agnus Tartaricus seu vegetabilis, quippè impossibile naturæ est, & sanæ rationi absolum, ex & à plantâ generari animal. & ἀφίλοσόφως agit, qui in effectu ponit, quod in causa nunquam fuit, sit nisi effectum causâ nobiliorem absurdissimè faciat. Ovi formam esse plantam Agnum hunc libenter largiri possumus, sed quanta à similitudine argumenta? straminea equidem. Nemo erit, qui ab externâ animalium figurâ aut dispositione ad internam eorum essentiam & constitutionem velit concludere. scimus, quod Fungi exactè Linguam figurent tam quoad colorem, quàm quoad carnem atque formam: at quid exindè? Boleti speciem ovorum sistunt, & multa alia repræsentant alia: sed neutiquàm censenda eadem sunt, atque eandem essentiam cum iis habere, quibus quidem quodammodò similia apparent. Certè de fructu Draconis arboris Menardes refert, eum pelli inclusum latere ad exactam Draconis animalis speciem, collo oblongo, ore hiante, spinâ aculeis horridâ, caudâ oblongâ, pedibus conspicuis. sic de lapidibus Geticis caput hominis, manus, pedes &c. exprimentibus multa multi Historicorum scribunt. nempè suam varietatem natura retinet, & uti forma ignobilior ad varias figuras suam materiam quandoque informat; ita multò magis nobilior plantarum in plantâ hac Tartarica figuram agni æmulari potest. Risu autem syncrusio dignum est, quando cornua desiderantur, utpote quæ scythicis arietibus, Libaviô comprobante, totum Philosophus detrahit. Nec corium seu

sen vellus obstat, putamen enim castaneæ puniceum interiori superficie pellem quoq; innatam exhibet; & plures in Persia dantur fructus, qui supra lanuginē albā lanā sunt obducti atq; exornati. Potrò sanguis, quem disseccatus agnus emittit, analogicè saltem talis est, & rectius humor aliquis, quàm verus sanguis dicens, perindè de citatā arbore Draconis referunt, eandem cortice tenui incisam liquorem stillare, quem *sanguinem Draconis in lacrymā* appellant. sic cruentum humorem gelidoniam exsudare non mirum est, aut ex tithymalo & aliis lacteum profluere. Frustrā adhuc urgetur pulpa, qualem herba hæc Gammarrorum carni similem repræsentare dicitur, Nam & pulpa ejusmodi invenienda est in uvis nigris, quæ mustum sanguini persimile ebulliunt. Et fabulæ affine est, cum plantæ huic lupos insidiari ajunt, quippè & balatum eadem tribuere, & liberatam à stemmate incedere gregesque sequi fingere possent. hinc Deusingius Dissert. de Agno vegetab. num. 5. Scaligerum non tam veram historiam, quàm fabellam narrare affirmat, imprimis quod hæc corollarii vice addiderit: *hoc quasi condimentum æque intritum ad fabulæ & agni allusionem.* Positò tamen, rem verè ita comparatam esse, aut lupi nihilominus ab externa plantæ hujus forma decipiuntur, aut reverà ipsam appetunt, cum ne terris quidem parcant magnā fame. Quod tam diu denique herbam vivere ferant, quam diu herbis vicinis obsidetur, id improbandum ad eò non est, cum foris alimentum appetere possit, ubi ad radicem succus deficit. sed omnia suspitione non carent.

§. XX.

Ea, quæ Odoricus diverso paululum more de Agno Vegetabili perscripsit, ex aliorum fide, uti ipse apud Deusingium c. l. confitetur, recitat, qui verò eisdem ex aliorum fallaci relatu decepti esse potuerunt. rectè interim hunc agnum cum Anseribus arboreis comparat, ut qui sanè non eum in morè producantur, quò vulgò putant, quemadmodum de his ipsis mox aliquid visuri sumus. Intereà unicum adhuc audire placet Olearium, qui l. 3. c. 2. Itinerar. fraudem agni prædicti his verbis Lecturis detexit: *Hinter Samara / zwischen den Strömen Wolga und Dan findet mann eine seltsame Art Melonen / welche dem eüßerslichen Ansehen nach als ein Lamb gestalt seyn. Der Stengel*

gel ist gleichsam an den Nabel / und wo es sich hinwendet /
verdorret das Gras welches sie abfressen heissen. wenn es
reiff / verdorret auch der Stengel / und die Frucht bekombt
ein rauhes Fell / wie ein Lamb. Mann hat uns etliche
Stücklein von solchen Felle gegeben / es war zart und krauß
von Wolle als ein Fell eines Lammes / das erst jung worden.
Es soll auch war seyn / was Scaliger Exercit. 181. schreibet /
daß die Wölffe / und sonst kein ander Thier / die-
ser Frucht nachstellen / darüber sie offte gefangen werden.
Ubi non modò meram plantam agnum hunc appellat, sed gra-
men etiam exarescere, quod alii ab eòdem devorari affirma-
bant, asserit. §. XXI.

De herba impatientis, vulgò Noli me tangere dictâ, non est,
ut plura repetamus. quia enim maturitas seminis præstò est,
id ipsum ad tactum hominis facillimè profilit. aliàs si hic ef-
fectus extrâ datam conditionem obtingeret, causa dubio sine
in antipathia querenda foret. Deinde suâ quoque sponte
corruunt Brassica atque vitis, quæ neutiquàm ex se affectus
spirant, puta fugam, odium, aversionem &c. cum iidem â
sensibus dependeant, quos herbis tribuere à *Philosophis* est.
ergò itidem qualitas occulta suum exeret dominium. Qui-
bus observatis facilè hujus generis plantæ plures destruuntur,
quibus sensus passivos, quando scilicet tanguntur, videntur &c.
activos minimè concedimus. Neq; nostram sententiam pre-
munt vermes, quos modò monstrosiori & naturæ prorsus inco-
gnito produci dicunt, qui eosdem Zoophytis accensere alla-
borant. Vermes sunt, adeoq; ex suæ speciei semine, non ex
plantis, non intrâ vel extrâ animalia prodire possunt. Sanè quo-
ties in Physicis ad generationem æquivocam transitur, semper
vereor, ne pelvi nobis opus sit.

§. XXII.

Et hæc sufficiant de hætenus adductis, sed affatim explosis
Plantanimalibus. Apertè fabulam narraret, qui illò referret ar-
borem illam Britannicam Anseriferam vel Anatiferam, velut
nonnulli cætera magnæ existimationis viri fecisse hinc indè
leguntur. ita enim Doctiores non fugit, quod Olaus Magnus l.
19. Hist. septentr. c. 9. & Sebast. Münsterus l. 2. Cosmogr. cap.

C

defer-

de fertilit. Angliz & Scotiz *ὁμοιωμάτων* recenseant, ex fructu
hujus arboris aves generari, si nimirum lignum ejus aquis ma-
rinis injiciatur: contra Jacobum Aconensem, citante Celeber-
rimo Schotto Phys. Curios. Part. 3. l. 9. c. 22. § 15. Statuere,
quasi arbor hæc aves suas rostris infixas tempore maturitatis
dejiciat, quæ postmodum delapsæ per incrementa proficiant,
& cæterarum avium more volatum discant imitari: imò quod
Turnerus Anglus apud Gesner. l. 3. de Avibus unà cum aliis
eò progrediatur, ut ex ligno hujus arboris putrescente ortum
avium Britannicarum ducat. Verum ut ut Temporum testis
nos doceat, dari arbores perquam mirabiliores, è quarum nu-
mero sunt arbor Imbrifera in insulis canariis, Mellifera in Hir-
cania frequens, Farinifera in Terenate insula, Ferrifera, de
quâ Scaliger Exerc. 18. sect. 1. arbor vitæ necisq; divinatrix in
Petu, arbor Tristis in Indiâ, & Multifera, quas quotidiana
experientia, magistra rerum exhibet; id tamen simul Historiæ
testantur, non esse in orbe terrarum ejusmodi arbores, quæ
anserum vel anatum feraces sint, sive illæ mari injiciantur, sive
etiam putredo in partes vocetur. ut nil dicam de Autoribus,
qui in describendâ generatione avis Britannicæ tam bene in-
ter se conveniunt, quam bene conveniunt horologia, dum
plerique tam circa ipsam substantiam Avis, quam circa nomen,
locum natalem atq; ortum aliter procedunt. scilicet Avis
Britannica suâ animâ sensitivâ gaudet, quam arbor necessariò
haberet avique communicaret, si verè ex eadem nasce-
tur. Habemus firmissimum *αξιώματα* Effectum causâ suâ
nobiliorem non esse, quod maximè infringeretur, si arbor quod
non habet, volucris communicare posset, alienam puta atq;
superiorem præ vegetativâ formam. Sane Trinunus Deus, cum
hæc universa crearet, omni plantæ, quocunq; illa nomine ve-
niat, suum semen largitus est, ita ut nec ulla sua sponte debeat
pronasci, sed similitudinem specificam obtineat, & se secundum
suam speciem semper multiplicet. Hinc univocam generatio-
nem oportet dari, undè aves ita dictæ more reliquarum ex incu-
batu atq; ovis proveniunt, quam dudum etiam demonstravit
Vir Magnus Albertus M. l. 23. Hist. An. apud Gesn. qui velut
avis hujus *αυθόμων* in ea erumpit verba: *Dicunt aliquando ex*
putri-

putridis lignis hac animalia (aves Britannicas) in mari generari,
præcipuè ex abietum putredine, asserentes à nomine has aves visas
coire vel ova parere. sed hoc omninò absurdum est, Ego enim & alii
complures mecum vidimus eas coire, & ova fovere & pullos alere.
 Cui succinunt Batavi, quos in navigatione ad novam Zemblam
 & fretum Nasovicum, vulgò Weygas appellatum, deprehendi-
 disse aves has in aliquot scopulis suis ovis incubantes, quarum
 etiam nonnullas & multa illarum ova in navem retulisse, te-
 stantur Clusius in Auc. Exot. apud Schott. l. c. Part. 2. §. 12. &
 Gerh. de Vera Amstelodamensis in Navig. ad Sinas apud Deu-
 sing. de Anser. Scot. n. 48. & Aldrovand. l. 19. Ornithol. c. 23. §.
 Origo & ortus. Igitur cedro digna sunt, quæ ex B. Franzii
 Hist. Anim. Part. II. c. 20. allegat beatissimus Sperlingius Instit.
 Phys. Lib. 7. c. 7. qv. 1. Rectè, inquit, Franzius ait: *Quæ sæpius in*
hoc Tractatu monuimus, nullum animal, nullum etiam animalculum,
quantumvis minimorum minimū, aliter producitur, quam ex coitu,
postquam minima vel ovulum vel ovulo aliquid ἀνάλογον pariunt, &
in loca sibi commoda visa, præsertim putrescentia, tanquam mollia &
simul humida (ut & pabulis & nidis usum præbeant illa) deportant
foventq; vel foveri sinunt. Exempla pulicum, pediculorum, vermium
& multorum aliorum hoc ad oculos docebunt. Nunquam igitur fir-
miter potui persuaderi, anseres ex arboribus nasci. Tandem incidit
in historiam Navigationum Hollandicarum versus novam Chinam
susceptarum, ibiq; deprehendi ad annum 1597. & quidem ad 11. Ju-
lii è regione insule Crucis ab Hollandis reperta fuisse ova illorum
anserum, quos hætenus decepti credidimus nasci ex arboribus. Quod
historicum testimonium omnibus gratisimum esse debet, & ansam
simul præbere ad veritatem in aliis quoq; materiis exactius investi-
gandam. Conf. idem Part. II. c. 9.

§. XXIII.

Ejusdem farinæ est radix Mandragoræ, quæ vulgò ab impo-
 storibus circumforaneis magni venit, & creditur ex urinâ su-
 spensi faris sub patibulo, in forma homunculi enasci, vitam ani-
 malis vivere, & ubi evellitur, altum clamorem ciete, quem qui
 audiunt, vel moriantur statim, vel fiunt Melancholici. Ideoq;
 fingunt in evellendo canem famelicum alligandum, & homini
 auribus pice obturatis, ocyùs aufugiendum esse, ne forsan voce
 auditâ in maximum vitæ periculum cadat. Et ne quis frustra
 hæc

hæc recitari existimet, jam olim huic Radici Mandragoræ hu-
 manam speciem assignatam perhibent, id non solum è Pytha-
 gora, qui eam αἰθερωπίουρον, sed & è Columella, qui *semi homi-
 nem* nominarunt, comprobantes. Cui fabulæ occasionem da-
 tam fuisse ex Josepho l. 7. de Bell. jud. c. 25. de radice Bacchara
 consimilia nec minus superstitiosa narrante, rectissimè judicat
 CL. Deusingius Dis. de Mandrag. Mang. n. 21. Sed licet satanas,
 ut est mille fraudum artifex, facilè ex lotiõ furum suspensorum
 hanc radicem generare possit, quò humanas eâ mentes fallat
 & superstitionem propaget, tamen unicuique notum est, Cir-
 cumforaneos ex hæc & aliarum plantarum radicibus imagun-
 culas humanã specie exsculpere, quibus miras virtutes assignant,
 & pro herbis eâ formã è terris nascentib9 credulæ plebeculæ di-
 vendunt. quã de re audiamus Deusing. l. c. n. 28. fraudẽ impo-
 storum ita detegentem: *Quò omnia, inquit, fingantur accura-
 tius, hordei ac milii grana (vel avena) infigunt iis locis, ubi pilos ex-
 oriri volunt; deinde facta scrobe tam diu tenui sabulo obruunt,
 quousq; grana illa radices emittunt, id quod fit 20. summum dierum
 spatio. Erunt eas demum, & enatas è granis radices acutissimo cul-
 tello scindunt, aptantq; ita, ut capillos, barbam & ceteras corporis
 pilos referant. Quam quidem conficiendi artem Matthiolus se
 ab impostore quòdam, quem Gallica lue Romæ laborantem cu-
 ravit, audivisse scribit, & technas l. 4. in Dioscor. c. 7. toti orbi
 communicavit. quamquam Th. Bartholinus Cent. Anat. 2. Hist.
 51. referat, cujusdam Radicis Mandragoræ sub patibulo in
 Helvetia erutz atq; Hamburgo Haffniam misæ Caput ex radice
 Galle effectum & trunco agglutinatum fuisse, quod ne animadvert-
 retur, collo circumductum collare ex crinibus contextũ, crines appo-
 sitos ex fibrillis radicum exsiccatis, reliquum verò corpus, manus pe-
 desq; ex rana exsiccata & in hominis figuram extensã paratum fuisse.
 Atq; hinc liquidissimè apparet, nequiquam Radicem Mandra-
 goræ cum plantis commune habere, nedum cum suprã reje&is
 Plantanimalibus, adeò ut verbis CL. Deusingii è l. c. n. 35. appo-
 litis, hac vice concludamus: *Fabula de homunculis patibulari-
 bus ex urinã furis suspensi pronatis nullã specie fidem apud cordatos
 invenire potest, cum nec materia commemorata, nec locus, nec ulla
 causa efficiens tali generationi respondeat, nec peculiaris in urina su-
 spensi furis facultas concipi queat, nec prærogativa ulla, ad tam nobi-
 les effectus producendos, sub patibulo inveniri.**

תלח :

AB # 72

(1/18)

ULB Halle

3

005 526 345




SB

Sp 15.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres

15.
12

D. B. V.

TIO PHYSICA

De

HYTIS,

ÆSIDIO

VIRI

*ndi, Amplissimi atque
entissimi*

ANTINI Siegra/

*ophiæ Naturalis Profes.
gè celeberrimi,*

*ris ac Promotoris perenni
antia cultu maçtandi*

Albim Academia

*ο Συμφιλοσοφόντων
ονι subjecta*

ELMO HILLIGERO,

nsi Misnico,

responsuro,

horis Matutinis

erio Majori.

BERGÆ,

AELIS Wende,

DC LXVII.

